Quaestio medica Quodlib. disputationibus agit.da In Scholis Medicorum die Jovis 27 Januarii. M. Guillelmo Robineau Moderatore.

An Soporosorum Affectuum communis Curatio?

Somnus Animantium communis affectio est sensificae partis propria cuius sedes cerebri substantia qua per nervos eiusdem cum cerebro steas non virtutis eiusdem facultas cum calido nativo vehitur cuius motu praesentiaq; facultatum singularum quibus animal regitur & constat operationes fiunt. Hoc plurimum in pueris hyeme, somnoq; augetur, aestate, ac vigiliis dissipatur. Hinc per somnum coctio melior, et ad nutritionem alimenti coctior praeparatio. Cordis pulsus et arteriarum quamvis caloris non sit opus, eius tamen subsidio perficitur, quo languente facultas otiatur: seu a seipso calidum aut ab alio moveatur, ista in sensibus vigilias parit, suo vero ab ipsis refluxu somnum inducit, quem ratio et voluntas impediunt, quamvis calidi motus naturalis esse videatur.

Somnus autem secundum naturam est, vel praeter naturam. Naturalem facit calidi moderata intro revocatio, non ipsius in se cumulatio et naturae consentiens antiperistasis. Praeter naturam sopor appellatur a frigore sit potius, quam humiditate motum caloris cohibente. Qui secundum naturam est nec facultatem laedit, nec facultatis instrumentum. Longior in pueris quam in senibus, pituitosis noctu, quam interdiu altior, ab ebrietate et cibo profundior, febricitantibus utilis, accessionum vero quas cum rigore fiunt initio, aut a vigiliis inflammatione febribus ortis noxius et praeter naturam a quo animal difficilius expergiscitur, eodemq; sentiendi facultas afficitur, ut in soporosis affectibus lethargo, comate, caro, catalepsi, apoplexia.

Lethargus cerebri substantiae proprius affectus ab intemperie frigida humida cum humore pituitoso putrescente sive primoq; interdum nascitur, quandoq; alteri morbo succedit. Proprius tamen semper affectus, acutus cum febre debili, peripneumonia periculosior. Carus febris sed putredinis expers ab eadem intemperie crassiore materia cerebri ventriculos quam corpus magis obsidente: gravius interdum febres comitatur, musculorum temporalium affectus, et cerebri comprehensiones. Coma lethargo, et phrenitidi medium soporosum non ubiq; malum. Catalepsis lethargo periculosior ab intemperie frigida sicca, vel humore sicci cerebri posteriora magis occupat. Carus cum comate anteriora. Triumsum apoplexiae substantiae et instrumenti affectio quam solvere nec medicus potest, nec natura.

Communia omnium symptomata facultatis principis functionum interitus, respiratio quandoq; libera, interdum etiam affecta. Lethargicis rara et imbecilla. Catalepticis propemodum nulla, apoplecticis laboriosa quibus in ore spuma ortam mortem denunciat. Lethargo praecipua oblivio est, caro taciturnitas, et somnus profundior, pulsus lethargo, caroq; magnus peripneumoniae pulsui similis. Catalepsi parvus languidus, sermo deficiens. Urinae lethargicis turbata jumentorum instar interdum nihil mutatae, alvus liquida malum, ut sudor toto corpore plurimus aut in capite frigidus, semper autem est periculosior affectus quem intemperies contraria parit, quam qui alterius tantum excessum sequitur.

Cur? omnium victus ratio tenuis quae praecedenti vim habeat, ac tenuandi, crassior in declinatione consuescendum ut solvendum. Somnus quia noxam inducit omni arte prohibendus, quies motus quidem utilior, in lethargo et caro phlebotomia evacuatis principium hyeme quam vero parcior, sane si vires deficiant alvus ani clystere subducenda ut in catalepsi, quae rubore multo suffusa facie venae sectionem indicat. Frequentissimum apoplexiae praesidium, oxycrocodinum deinde utile. Post etiam castoreum et sinapismus, revellenda cucurbitulis, frictionibus, et vinculis manuum, quam initio apophlegmatismis aut gargarismatis movere parumper juvat, sternutatoriis vero periculosum. Parata commodissime evacuatur tum hiera, tum hiera, tum colocynthide. Castoreum etiam utile cum oxymelite potum, scammonio interdum addito, in comate ut Cat[illegible]ra quam in lethargo mitiora sunt remedia, sic venae sectio non attendenda.

Ergo Soporosorum Affectuum communis curatio.

Proponebat Lutetiae M. Petrus de La Mer Laudunensis. A. M.D.LXXII.

Dom. Doct.res disputaturi.

M. Joannes le Sellier
M. Joannes Guyot
M. Robertus Crozon

M. Henricus de Monanthëuil
M. Antonius Duval
M. Euvertius Arragon

M. Claudius Rousselet
M. Claudius Bailly
M. Stephanus Gourmelen